

**Disputatio medica inauguralis, de apoplexia hydrocephalica ... / eruditorum examini subjicit Carolus Skene.**

**Contributors**

Skene, Charles, 1777-1844.  
Baumgartner, John Thomas, 1778-1874  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1799.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ghuzvrm7>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Volume ID 62273232

---

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA

---

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

---

DISPUTATIO MEDICA

IN AUGUSTIS

APOPLEXIA HYDROCEPHALICA



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
APOPLEXIA HYDROCEPHALICA;

*QUAM,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.  
*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

*GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS SKENE, A. M.

*SCOTUS,*

SOCIET. REG. MED. EDIN.

PRÆSES ANNUUS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

---

M DCC XCIX.

DIPLOMA

IN MEDICINE

OF

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1892

PRESENTED TO

THE FACULTY OF MEDICINE

BY GEORGE B. BAIRD, M.D.

DEAN OF THE FACULTY

AND

CHIEF OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

OF

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN MEDICINE

PRESENTED TO

THE FACULTY OF MEDICINE

BY GEORGE B. BAIRD, M.D.

AND

CHIEF OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN MEDICINE

EDINBURGH

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1892

OF

PATRI

GEORGIO SKENE, M. D.

NECNON

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ

IN

ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. DQUE

CAROLUS SKENE.



PATENT

GEORGIO SEENE, M.D.

RECNOY

JACOBO GREGORY, M.D.

MEDICINE PRACTICE

ACADEMIA MEDICINA

PROFESSOR

THE UNIVERSITY OF

To  
J. Baumgarten Esq  
from his friend  
the  
Author

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
APOPLEXIA HYDROCEPHALICA.

---

**H**UNC morbum, qui infantibus et pueris  
haud rarò lethalis est, medicorum pri-  
mus, quantum scimus, luculenter et accuratè  
descripsit PAISLEY\*.

A

Haud

---



Haud verò negandum est, medicis antiquis notum fuisse; præcipuè HIPPOCRATI\*, qui multa signa ei propria scriptis narravit. Nedum, profectò, recentioribus medicis inobservatus latebat; quum PETIT, qui, ante PAISLEY, florebat, præcipuas quasdam notas, quibus insigniatur, literis prodiderit.

### Signa

---

\* “ Si,” inquit HIPPOCRATES, “ aqua in cerebro fuerit, dolor acutus per sinciput ac tempora emergit, aliàs alio loco: et rigor ac febris aliàs atque aliàs, et regiones oculorum dolet, et cæcutit, et pupilla finditur, et ex uno duo se videre putat, et si surrexerit, vertigo ipsum corripit, et ventum non sustinet, neque solem: et aures tinniunt, ac inter audiendum strepitu offenditur: et vomit salivam ac pituitam, quandoque etiam cibos\*.”

---

\* Vid. HIPPOCRAT. *De Morbis*, lib. ii. edit a vander LINDEN.

Signa autem hujus morbi, quæ auctores, ante PAISLEY, memoriæ mandârunt, ea sunt, quibus cognoscitur, postquam usque eò increverit et inveteraverit, ut medicinâ sanari non possit. Neque, profectò, hi auctores animadvertunt, quibus notis differat a *hydrocephalo longo*, quo caput, mirum sæpe in modum, magnitudine increscit.

Hujus morbi, ex quo tempore signa ejus descripsit PAISLEY, naturam luculentius exposuerunt WHYTT, FOTHERGILL, QUIN, et RUSH ; medici sanè omnes magni nominis, quique scriptis de medicina optimè meruerunt. Quocirca, ex eorum scriptis mihi consilium est, ejus signa, ut quæque memoriâ digna videntur, excerpere, itemque naturam et curationem exponere.



## DE

## DEFINITIONE.

Discrepat inter scriptores, qui morbos ordinatè disponunt, quo ordine collocanda *apoplexia hydrocephalica* sit. Propter naturam ejus malè intellectam, medici, qui scriptis primi tractârunt, inter hydropes posuerunt. Signis oppressi cerebri, quæ ei provecto propria sunt, adductus CULLENUS est, ut *apoplexiæ* speciem haberet. Atque, nostris temporibus, quidam phrenitidis speciem esse contendunt, quum initio inflammationem cerebri aut membranarum habeat.

Definitio hujus morbi, quam composuit CULLENUS, correctione quadam a GREGORIO adhibita, hæc est.

Apoplexia

“ Apoplexia paulatim adoriens ; infantes  
“ et impuberes plerumque, primùm lassitu-  
“ dine, febricula, et dolore capitis ; dein pul-  
“ su tardiore, tandem frequentiore ; pupillæ  
“ dilatatione et somnolentia afficiens.”

DE



DE

## HISTORIA.

Impuberes, uti constat inter omnes, morbo, quem persequimur, adultis opportuniores sunt; ex impuberibus verò, corpore delicati, et ingenio præcoces, strumosis nati parentibus.

Non impuberes autem solos afficit hic morbus. Interdum enim vel adultos corripit, et correptos absumit\*.

Priusquam

---

\* Vid. LOND. *Medic. Observat.* vol. v. et vi.

Vid. QUIN. *De Hydrocephalo.*

**████** GREGOR. *Prælect. De Medicin. Practic.* EDIN.

ann. M,DCC,XCIX.

Priusquam signa, quibus *apoplexia hydrocephalica* cognoscitur, narrare incipiam, observatu dignum est, propter mutationes, quas, procedente hoc morbo, arteriarum motus subeunt, WHYTT primùm, et omnes ferè exinde medicos, qui de eo scripserunt, tempus, quod cursu implet, in tria spatia dividisse.

*SPATIUM PRIMUM.*—Obrepente *apoplexiâ hydrocephalicâ*, miser languet, moveri piget, queribundus, sæpe somniculosus; neque tamen ullâ corporis parte dolet.

His ineuntis invaletudinis signis subinde remittentibus, ægrotans hilaris fit, et bonâ videtur frui valetudine.

At brevi tantùm invaletudinis intercapedine frui licet. Quippe, pòst paulò, stomachus deficit, nauseat, imò subinde redundat, atque bis terve in dies contenta evomit,



Ut eò perventum est, febricula, interdum febris, oritur; quæ frequenter, at incertis temporibus, remittit et intenditur. Nonnunquam sic intermittit, ut, ex toto, sequatur integritas. Plerumque accessiones singulæ singulis vesperè diebus fiunt.

Eodem ferè tempore, arteriæ solito celerius et frequentiùs, ferè ampliùs centies sexagesimâ horæ parte, moventur. Summa cutis calida est et sicca, præcipuè circa caput et præcordia; at identidem in illa parte sudor oritur.

Sitis modica est. Lingua plerumque albida; nonnunquam nitida; sub finem, rubra atque *apthis* obsita.

Oculi, propter acriorem solito *retinæ* sensum, lucis impatientes sunt, atque candelæ admotæ

admotæ lumen refugiunt. Interdum quoque, uti a Rush accipimus, peracutus auditus.

Æger interea spiritum solito crebriùs accipit et reddit; ex somno frequenter timet; dentibus inter somnum subinde stridet; nares, quæ plerumque aridæ sunt, unguiculis continenter ferme carpit, atque paucas aliquando ex iis sanguinis guttulas exstillat.

Plerumque, jam usque ab initio morbi, caput dolet, modò totum, modò pars tantùm, vertex, nempe, aut frons orbitis oculorum incumbens. Dolor, quoties gravis urget, semper vesperè intenditur, atque vices cum nausea et vomitu alternat. Aliæ etiam partes dolore urgentur, maximè primum collum, et interstitium scapularum, at nonnunquam vel brachia et crura. Quando hæ partes dolent, dolor capitis aliquantùm remittit.



Astricta, a prima plerumque morbi accessione, alvus est, neque, nisi acrioribus catharticis, solvi potest. Interdum verò modò astricta est, modò foetida quædam et subviridia infrà transmittit.

Procedente morbo, signa, quæ memoravimus, paulatim ingravescent, præcipuè dolor capitis et vomitus. Æger nunc perversis oculis est; et alterutraque pupilla, supra consuetudinem, ampla, amplior verò ea oculi, cujus axis ad nasum inclinatur. Præ axibus oculorum sibi invicem non parallelis, æger, si obviis quibus oculos advertere possit, naturaliter singula, bina percipit. Adulti, si qui in hunc morbum inciderint, mente nonnunquam alienantur; infantes et pueri potiùs opprimuntur sopore.

*SECUNDUM SPATIUM.*—Ut morbus eò increvit gravitatis, arteriarum motus, mirum in modum,

dum, tardescunt. Hæc autem tarditas, morbum in secundum spatium cursûs transivisse indicat.

Hæc transitio, decimo quinto plerumque vel vigesimo adversæ valetudinis die, accidit, prout gravior aut levior morbus sit. Arteriæ nunc non solùm solito tardiùs, sed, pro tarditate, vi etiam et temporibus inæqualibus, moventur. Eædem verò, motibus postea concitatis, æqualiter paulatim ordinantur.

Quanquam, hoc spatio, tardè moventur arteriæ, calor tamen summæ cutis manet, neque rarò intenditur. Alvus etiamnum perquam astricta est. Non tam acuto, quàm antea, dolore affligitur caput, stupore et torpore citò incrementibus. Vel levissimum motum timet æger, atque rarissimè pulvino caput sublevat: subitò subinde pavet, et ejulatum edit: oblatos cibos avidè ingurgitat. Incrementum stupor ;  
atque



atque oculorum pupillæ magis magisque ampliantur.

Nonnunquam, præ quibusdam forsan ventriculi sordibus, fœtet anima : hoc verò signum neutiquam perpetuum est. Nunc, et per totum utique morbum, urina varia, modò albidì quid deponit, modò nihil quicquam.

Observatu dignum est, vel secundo cursûs spatio, morbum, quem prosequimur, etiamsi multùm increverit, interdum tamen paulisper remittere. Remissiones verò fugaces sunt ; brevi enim æger iisdem, ut antea, malis urgetur.

*TERTIUM SPATIUM*—init morbus, quo tempore arteriæ denuo celeriter agitari incipiunt ; quod plerumque accidit, sex septemve dies ante mortem.

Hoc morbi tempore, arteriæ, supra quàm cuiquam credibile est, celeriter micant, centum plerumque tricies temporis minuto; imò, modò, uti WHYTT semel compertus est, ducenties et decies; modò, uti semel GREGORIUS, centies et octogies sexies. Imbecilliùs autem moventur, et, id quod sanè mirum, æquali vi et æquis intervallis\*. Earum nonnunquam motus interdiu paulo tardiores sunt, at, appetente nocte, accelerantur.

Cùm eò processum est, æger jacet sopore obrutus. Alterutraque oculorum palpebra resolvitur; neque pupillæ, admotâ luce, sese contrahunt. Oculi, sanguine vasa tunicæ *adnatæ* distendente suffusi, rubent. Sanguine, in laxam telam *cellulosam* subjacentem effuso, facies interdum livet. Una subinde gena rubore suffunditur, dum pallet et friget altera.

Æger,

---

\* Vid. QUIN. *De Hydrocephalo*.



Æger, hoc ferè tempore, devorandi impotens fit; animam difficillimè reciprocatur, atque, post singulas expirationes, paulisper interquiescit. Alvus adeò non, ut antea, astricta est, ut, ægro nesciente, fæces infrà transmittat. Vesica quoque, nescio ægro, egerit subinde urinam.

Brachia nunc et crura apparent subrubris maculis suffusa. Interdum, at rarò, musculi, ex alterutro latere, resolvuntur. Æger, demum, pauciores plerumque pluresve musculos, brevibus interjectis temporibus, convulsus, animam exspirat.

Priusquam hanc signorum historiam ad finem perduco, liceat mihi, in transitu, observare, BURSERIUM, medicum eruditum in primis, dicere, iis, qui *apoplexiâ hydrocephalicâ* laborant, identidem deficere vocem.

cem \*. Unum quidem ægrum observâsse videtur WHYT, cui, post distentionem nervorum a brachio ad fauces ascendentem, vox semel bisve quotidie defecit. Sed neque hic, neque alius quisquam auctor, quantum scio, defectum vocis signum hujus morbi proprium scriptis notat. Ægro, quem memorat WHYT, vox non antè defecit, quàm ferè ad ultima ventum erat, et musculi convelli inceperant.

Quum *apoplexiæ hydrocephalicæ* nulla constet longinquitas, necesse est, singula spatia, quæ cursu conficit, in aliis ægris, longitudine alia sint. Tribus plerumque quatuorve hebdomadis, cursum finit hic morbus. Interdum verò, primâ adversæ valetudinis hebdomadâ, ægrum

---

\* Vid. BURSER. *Institut. Pract.* tom. iii. pag. 44.



ægrum tollit \*. Nonnunquam, contrà, uti a GREGORIO accipimus, per tres menses protractus, imò, uti a MONRO, per quatuor †, lentâ morte consumit. Duorum ægrorum, quibus tam serotinam malorum quietem mors attulerat, capita magnitudine naturalia videbantur; at, uti patefaciendo, postquam vitæ satisfecerant, compertum est, aquam haud ita parcam in ventriculis continebant.

Observatu, porrò, dignum est, mala, quibus, primo cursûs spatio, *apoplexia hydrocephalica* insignitur, interdum compluries antè urgere, et vicissim sic intermittere, ut, per tempus haud exiguum, integritas sit, quàm ad vitam extinguendam morbus properat. Ægrum enim memorat GREGORIUS, qui, postquam  
signis,

---

\* Vid. QUIN. *De Hydrocephalo*.

† Vid. MONRO. *Treatise on the Brain*.

signis, quibus cognoscitur hic morbus, compluries correptus fuerat, et complures expertus intermissiones, subito demum mortalitatem explevit. Post mortem verò, id sanè quod dolendum, non permissum est, ut ferro cerebrum patefaceret.



DE

## INSPECTIS CEREBRIS.

Incisis, post mortem, cerebris eorum, quos rapuit *apoplexia hydrocephalica*, vasa plerumque sanguine supra consuetudinem turgida, et ventriculi effusâ aquâ distenti, conspiciuntur. Aliis verò cerebris vasa pauciora sanguine turgent, aliis plura. Maximè conspicua sunt in *pia matre*, quæ perinde apparet, ac si humore tenui sanguini concolori immisso vasa ejus impleta fuissent.

Interdum verò, ut certiores nos faciunt GREGORIUS et QUIN, quamvis ex signis sit, quamobrem effusam in ventriculos aquam fuisse suspicemur, nihil tamen morbidi in patefacto cerebro

rebro conspicitur, præter vasa sanguine supra consuetudinem impleta et distenta.

Plerumque tamen humor perlucidus aut sufflavus in ventriculis, modò uno, modò laterali-  
bus, modò omnibus, deprehenditur. Contenum uno tantùm lateralium humorem bis compertus WHYTT est; HALLERUS, compluries. Contra ea, in omnibus simul ventriculis effusum humorem MONRO quindecies invenit\*. Humor autem, in externum cerebrum effusus, rarissimè conspicitur.

Vertitur inter medicos, utrùm humor, qui in cerebra hydrocephalo ægrorum effusus, acidis coeat. Revera concreescere nobis videtur †; at  
non

---

\* Vid. MONRO. *Treatise on the Brain*.

† Vid. BAIL. *Morbid Anatomy*.



non æquè facilè, ac serum, quod in hydropi-  
corum cava effunditur, cùm illi insit exigua  
tantùm copia sanguinis *lymphæ* \*, quæ sola hu-  
jus pars est, quam cogere possunt acida.

Nonnunquam ipsum cerebrum eo sani ho-  
minis mollius percipitur, atque, ex parte, fraci-  
dum et quasi solutum. Haud rarò etiam tumo-  
res, magnitudine varii, cùm in cerebro tum in  
cerebellò detecti sunt, unà cum pure in ventri-  
culis. Unum in dextro *nervorum optidorum*  
*thalamo* comperit WHYTT, qui pullastræ ovum  
magnitudine æquabat. *Glandula pituitaria*,  
utì compluries conspicatus PETIT est, dura,  
præter naturam, existit.

In cerebro *apoplexiâ hydrocephalicâ* defuncti,  
cujus signa morbida literis tradidit PAISLEY †,  
tumor,

---

\* Vid. MONRO. *Treatise on the Brain*, &c.

† Vid. EDIN. *Medic. Essays*, vol. iii.

tumor, qui avellanam majusculam mole æquabat, in *dura matre*, sub sinistro *osse parietali*, inventus est, atque complures alii minores, ex sinistra parte *sinûs superioris longitudinalis*. *Pia mater*, supra consuetudinem, crassa erat, atque, in multis locis, *duræ matri* adhærebat. In ventriculis, copia haud exigua sufflavæ aquæ inventa est; atque *plexui choroidi*, qui occallebat, plurima adhærebant corpuscula, quæ *hydatides* simulabant.

Obiter, denique, observandum est, *conglobatas mesenterii glandulas* persæpe majores solito esse, ac induratas; simulque alia signa apparere, ex quibus scrofulam corpori, dum vivum, delituisse patet.



## DE

## DIAGNOSI.

In signis enarrandis, quibus cognoscitur *apoplexia hydrocephalica*, tempus, quod cursu implet hic morbus, in tria spatia, aliorum exemplo, descripsi, quorum singula quidam arteriarum pulsus designat et determinat.

Tempus, quod occupat hic morbus, sic dispartire, liceat cuiquam notas ejus fusè et absolutè describenti. Confitendum tamen est, non huic semper morbo omnes constare notas, quas memoravimus. Verùm, enimvero, vix, imò ne vix quidem, ejus exemplum est, in quo omnes notæ constante ordine concurrunt. Quippe arteriarum motûs varietas, major naturali pupillarum amplitudo, capitis dolor,

lor, et, ne multis, ferè quodlibet aliud signum, absint ; et in ventriculis tamen, post mortem, contenta aqua inveniatur \*.

His cognitis, mihi quidem videtur, certò scire, *apoplexiâ hydrocephalicâ*, necne, laboret æger, qui quibusdam ex malis opprimatur, quæ afferre solet hic morbus, in primis arduum esse. Fortasse, pro certo, priùs haberi non potest, quàm vi et numero signorum morbus eò increverit gravitatis, ut, dignoscatur, necne, parùm intersit, cùm medicinâ non possit sanari.

Morbi, qui signa quædam sibi cum *apoplexiâ hydrocephalica* communia habent, et a quibus interdum difficile est hunc morbum dignoscere, sunt verminatio, tabes *mesenterica*, et dentitio

---

\* Vid. RUSH. *Medic. Inquir.* vol. ii.



dentitio difficilis. Res igitur ipsa hortari videtur, quoniam de similitudine tempus admonuit, paucis dicere, quibus notis ille morborum ab his internoscatur.

*VERMINATIO.*—Diu medicis innotuit, vermes, sicubi alvum erodant aut irritent, plurima mala iis similia gignere, quæ parit *apoplexia hydrocephalica*. Quòd si medicus animadvertit, qualia essent signa, adversæ valetudinis initio, et quemadmodum deinde morbus increverit; simulque considerat, quæ dudum corporis valetudo esset; sæpe, utrùm vermiculetur æger, an *apoplexiâ hydrocephalicâ* urgeatur, cognoscere valebit.

Verminantium, at hydrocephalo laborantium non ita, caput æqualiter totum dolet; ferme tumet, atque pressum dolet abdomen; si quando arteriæ justo tardiùs moveantur, calor, pro tarditate, minuitur; alvus plerumque soluta

soluta est, atque mucosa quædam infrà transmittit; et muscoli haud rarò convelluntur.

*TABES MESENTERICA.*—Qui febre implicantur, quæ oritur ex *mesentericis* glandulis duriâ humori imperviis, iis, contrà atque *apoplexiâ hydrocephalicâ* ægrotis, abdomen tumidum est ac intentum, atque, mirum simul in modum, marcent extrema membra.

*DENTITIO DIFFICILIS.*—Si de morbo, hydrocephalos sit, an febris quam moverit dentiendi difficultas, dubitat medicus; animadvertere debet, utrùm pupillæ dilatentur ultra modum, sicut eæ illo morbo laborantium seriùs ociùs solent; an, sicut eæ hoc ægrorum, naturaliter, pro luce cui objiciuntur, sese amplient aut coangustent.



Iis, porrò, qui tardè et difficulter dentiunt, contrà atque iis, qui hydrocephalo provecto torpescunt, alvus facilè citatur; haud rarè convelluntur musculi; præter solitum incalet os; atque rubent plerumque et tument gingivæ.

Quoties ullum ex tribus morbis, quos memoravimus, hydrocephalos, ut interdum, comitatur, mixtis duorum morborum malis æger affligitur. Si tamen quis nondum quatuordecim annos natus, lentâ febre, quæ incerto circuitu remittit et ingravescit, implicatur; si subinde nauseat et vomit; si caput ei dolet, neque sine magna molestia potest pulvino sublevari; si oculi lumen refugiunt; sique astricta alvus: satis plerumque erit, quare suspicemur, ventriculos cerebri aquâ inundari, vel saltem in eo esse ut inundentur.

Nulla

Nulla ferè dubitatio apud medicum relinquetur, quin hydrocephalo plectatur æger, si signa modò memorata vomitoriis et catharticis non cedunt ; atque si præterea ampliantur pupillæ, pervertuntur oculi, pigrescunt articularum motus, tardescunt sensus, ægerque gravatur sopore.

Lentis, denique, febribus, quæ protractæ ægros soporant, quorundam signorum similitudo est cum morbo, de quo scribimus. In illiusmodi verò morbis, neque pervertuntur oculi, neque, supra modum, ampliantur pupillæ.

DE



DE

## CAUSIS.

*PROCLIVITAS*.—Medici multos memorârunt morbos, quibus, uti putârunt, impuberes *apoplexiæ hydrocephalicæ* opportuni reddantur. At certè affirmare non licet, mortales prægresso morbo aptos fieri, qui in alium incidunt, nisi medici hunc illum plerumque subsequi observârint.

Febres tamen diversæ, *rheumatismus*, *scarlatina*, aliique morbi complures, quos memorare longum esset et inutile, proclives in *apoplexiam hydrocephalicam* impuberes reddere a medicis putata sunt. Sed, rectè an secùs, futurâ

turâ medicorum experientiâ judicandum est :  
nam, in præsentia, hoc neque amplius novi-  
mus, hunc morbum illos nonnunquam subse-  
cutum esse.

Nostrâ verò opinione, dubitari vix potest,  
quin scrofulâ impuberes apti nonnunquam  
reddantur, quos hydrocephalos adoriatur.  
Namque ex viginti duobus hoc morbo ægrotis,  
quos vidit PERCIVAL \*, undecim strumosi in-  
fantes erant, et tres videbantur. Strumosæ,  
porrò, familiæ, cujus mentionem fecit SAU-  
VAGESIUS †, omnes infantes, sexto ferè  
anno ætatis, in eundem morbum incide-  
runt.

Verisi-

---

\* Vid. PERCIVAL. *Medical Facts*, vol. i.

† Vid. SAUVAG. *Nosolog. Methodic.* tom. i.



Verisimillimum est, uti quibusdam medicis videtur, tumores, qui, uti suprà diximus, in cerebro *apoplexiâ hydrocephalicâ* defunctorum interdum deprehenduntur, strumosos esse. Haudquaquam dubitamus, quin hujusmodi tumores, cerebrum comprimendo irritandoque, hydrocephalo, quem persequimur, occasionem dare possint.

Neutiquam autem negandum est, familias quasdam, tametsi non strumosæ sint, *apoplexiæ* tamen *hydrocephalicæ* opportunas esse. Certiores nos facit QUIN, parentum sanorum, in quibus nullum delitescebat strumæ seminum, omnes deinceps filiolos hydrocephalo mortuos esse, omnes filiolas hoc morbo intactas evasisse.

*CAUSÆ EXCITANTES*—quæ sint, cognoscere in primis difficile est. Verùm ad hoc fortè genus pertinent, quæcunque in cerebrum sanguinem

guinem justo copiosiùs derivant vel impellunt, ejusque vasa nimis implent; veluti caput percussum diuve demissum, vehemens vomitio ac tussis, et si qua similia.

Quinetiam, morbus, de quo scribimus, interdum, uti observârunt medici, subsequitur solita profluvia suppressa \*, inveterata ulcera subito sanata, itemque insolationem †, atque suppressum subito sudorem copiosum ‡.

Quum vermes ventriculum irritantes capitis dolorem moveant, nonnulli medici existimârunt, causis annumerandos esse, quibus concitetur *apoplexia hydrocephalica* §. Sed, rectè  
an

---

\* Vid. RUSH. *Med. Inquiry*, vol. ii.

† Vid. RUSH. *ibid.*

‡ Vid. *Medical Facts*.

§ Vid. ~~Medical Facts~~. *Rush. loc. citat.*



an secùs, dubium videtur. Concedendum enimvero est, mirum, per nervos, consortium cerebro intercedere cum ventriculo ; ideoque vulnerato cerebro vomitum moveri, et ventriculo vino, epulis et cruditate onerato capitis dolorem. Verùm dolor tamen et vomitus sic concitati, sublati causis, plerumque conquiescunt.

*PROXIMA.*—Primi auctores, qui *apoplexiam hydrocephalicam* scriptis persecuti sunt, pro hydrope habentes, quoniam solebant in cerebri ventriculis aquam, post mortem, invenire, putârunt, proximam ejus causam esse humorem seri assimilem ; quem in hos aut patulæ arteriæ, præ ipsarum laxitate sanguinisve quadam tenuitate, exhalaverant, aut effuderant rupta, siqua, *lymphatica*.

Nuperrimè verò QUIN, primis morbi, de quo scribimus, signis compluries attento animo



mo observatis, simulque cognitis iis, quæ defunctorum cerebra ferro patefacienti sese videntia offerunt, inductus similitudine signorum, quæ ei est cum morbis, qui inflammatione cerebri oriuntur, dicit, esse “ a morbid accumulation of blood in the vessels of the brain, sometimes proceeding to a degree of inflammation, and generally, but not always, producing an extravasation of watery fluid before death.”

Nostris temporibus, omnes ferme medici accedunt ad QUIN sententiam, utpote quæ signis, seu ante seu post mortem, optimè congruat.

Primo spatio, *apoplexia hydrocephalica* signis phrenitidem multùm simulat. Utriusque enim commune est, arterias vehementer agitari; faciem sanguine suffundi; ventriculum nauseare et vomere; atque alvum morari, neque

E

facile




facilè moveri medicamentis. Observatu, porro, dignum est, hos morbos iisdem causis, insolatione, scilicet, et capite percusso diuve demisso, concitari posse.

Incisa cerebra eorum, qui primo morbi spatio periêrunt, *QUIN* opinionem adhuc magis confirmant ; ea præcipuè, quæ, uti suprà diximus, hic auctor et *GREGORIUS* memorant, quorumque, necnon etiam membranarum ea investientium, vasa sanguine, supra modum naturalem, turgida apparebant.

Nonnulli, uti suprà memoravimus, contendunt, strumosos, præ cæteris, in morbum, quem tractamus, proclives esse. Forsitan, id profectò quod nobis vero haud absimile videtur, in strumosis vasa cùm cerebri tum membranarum laxa sint, supra modum ; ideoque, infantili præsertim et puerili ætate, ubi, incrementi causâ, sanguis in caput, quàm in cæterum

terum corpus, copiosiùs distribuitur, apta, quæ levibus causis sanguine nimis distendantur, et inflammationem, qualem initio habere videtur *apoplexia hydrocephalica*, capiunt \*

---

\*  GREGOR. Prælect. De Medicin. Practic. in  
ACAD. EDIN.



DE

## SIGNORUM RATIONE.

De hac rei nostræ parte, satîs erit observare, omnia ferè mala, quibus, primo cursu, ægros affligit *apoplexia hydrocephalica*, ex cerebri ejusque membranarum inflammatione oriri; atque ea, quibus, medio et postremo, miseros opprimit, ex detrimento, quod a vasis nimis distentis, vel humore iis effuso, oppressum cerebrum accipit.

DE

DE

## P R O G N O S I.

Bonum, in futurum, iis, qui *apoplexiâ hydrocephalicâ* laborant, præagire non possumus. Pauci enim, paucissimi quidem, a provecta aut inveterata convaluerunt. Ne unum quidem hoc morbo ægrum servare potuit WHYTT. Quadraginta miseris eodem correptis opem et salutem ferre tentavit GREGORIUS : sed quantilûm eheu ! valet ars, repugnante naturâ : in omnibus morbus medicum vicit et medicinam.

Hunc tamen morbum nunquam sanari non possumus affirmare, quin de gravium auctorum in observandis morbis accuratione detrahamus.



trahamus. Plùs satìs autem constat, adeò  
rarò pòst sanatum esse, quàm urgere haud  
dubia signa indicaverint, ut medicinam pa-  
rùm contra eum posse opinemur.

DE

## CURATIONE.

Quò *apoplexiam hydrocephalicam* ad sanitatem perducant, medicorum est inflammacionem, quæ, primo cursûs spatio, urget, discutere; deinde, modò hoc facere non potuerint, humorem, quo postea opprimitur cerebrum, educere.

## CONSILIUM PRIMUM.

Quò inflammatio digeratur, opus est, non abstinentiâ solùm, sed medicamentis etiam et remediis, nimios cordis arteriarumque motus sedare



sedare. Quibus itaque hoc fieri possit, paucis dicendum est.

*SANGUINIS MISSIO.* — Utrùm, hoc consilio, mittendus, necne, sanguis ex brachio sit, inter medicos disputatum est. Quibusdam anceps idcirco videtur remedium, quòd hydrocephalos vires brevi magnopere labefactat, atque ægri, ætate plerumque teneri, sanguinis jacturam pati parùm posse videntur. Contrà, Rush, uti certiores nos facit, ex teneris quibusdam, hoc morbo correptis, sanguinem semel iterumque mittendum curavit, neque eventus spem fefellit.

Si magna vis inflammationis urgeat, et æger sanguine plenior justo videatur; liceat, putamus, sanguinem semel ex brachio bisve mittere. Oportet enim medicum non annos solum numerare, sed vires quoque æstimare, et considerare, quid genus quantaque vis morbi sit;

sit; atque ex iis colligere, oporteat, necne, detrahare ex brachio sanguinem. Vitalem humorem elicere, cùm neque vis morbi requirat tale remedium, nedum ægri vires pati posse videantur, non est morbum scienter levare, sed temerè jugulare ægrum.

Quoniam pauxillum sanguinis ex ipsa parte inflammata, aut certè quàm proxima missum, æquè ad inflammationem digerendam valet, atque major copia ex brachio; oportet, uti nonnulli putant, iis recente hydrocephaló afflictis, arteriam alterutrius temporum alterutramve externam juguli venam feriendo, succurrere. Hoc scire, et, siquando morbi ægrive virium ratio patiatur, experiri quidem, medici debent.

In hydrocephalo, quando recens et acutus est, si et levare caput debet, et ex vena scalpello incisa sanguinem mitti vires non patiun-



tur, hic, per cucurbitulas cum ferro, aut hiru-  
dines, detrahendus est. Hoc enim auxilium,  
ut minùs vehemens, ita magis tutum, neque  
unquam periculosum.

*CAPITIS EXULCERATIO*,—per totam *apoplexiam*  
*hydrocephalicam*, apta videtur. Morbo enim  
novo, inflammationem aliquatenus levat;  
et, confirmato aut inveterato, serum ex vi-  
cinarum partium vasis eliciendo, effusum  
ex cerebro humorem, ex parte forsitan, de-  
rivat.

*PURGATIO*. — Quum eorum, qui *apoplexiâ*  
*hydrocephalicâ* laborant, alvus plerumque  
perquam torpida sit, catharticis eam sub-  
inde citare necessarium est. Hujusmo-  
di medicamenta, præterquam quòd alvum  
movent, capitis etiam dolorem levant san-  
guinem hinc ad intestina derivando, at-  
que

que vermibus aliisque irritantibus alvum liberant.

*REFRIGERATIO.*—Inflammationi quoque, quam recens *apoplexia hydrocephalica* habet, subvenendum est, caput et collum linteis ex mixtis aquâ et aceto madentibus subinde refrigerando; nisi prohibeat sudor, in his partibus ortus.

*POSITURA.*—Caput, quò in id sanguis ex sinistro corde, per arterias, parciùs languidiùsque diffundatur, et ex eo, per venas, in cor dextrum expeditiùs refluat, debet, quantum pati possit æger, pulvinis elevari.

CON-



## CONSILIUM SECUNDUM.

Varia medici proposuerunt medicamenta, quibus humor, quo effuso opprimitur cerebrum, eliciatur.

Horum verò, nostris temporibus, longè efficacissimum habetur hydrargyrus. Hic, uti dicunt medici, interdum respondit; sed adeò sæpe prorsùs fefellit, ut ei non debeamus multum credere.

Quàm inefficax ad *apoplexiam hydrocephalicam* curandam hydrargyrus sit, colligatur ex infaustis de eo periculis, quæ fecit MONRO, quæque his verbis narrat :

“ Since the month of AUGUST 1779, I have  
“ attended 22 patients labouring under inter-  
“ nal

“ nal hydrocephalus, to whom I have given  
“ mercury. Of these 15 were males and 7  
“ females. 12 of them were under 7 years  
“ of age: 9 of them were from 8 to 14 years  
“ of age: 1 was 23 years old. Four of them  
“ lived 5 days only, after I was called: nine  
“ of them survived 7 or 8 days: three of  
“ them survived 10 days: five of them sur-  
“ vived 13 or 14 days: one, six years of age,  
“ survived four months, without any sensible  
“ enlargement of his head \*.”

Quum iis hoc morbo implicitis hydrargyrus  
vix, imò sæpe ne vix quidem, salivam movere  
possit, rati nonnulli medici sunt, si multo ejus  
usu æger consequi posset, ut ore salivaret,  
fore, ut a morbo revalesceret.

Huic

---

\* Vid. MONRO. *Treatise on the Brain*, &c. p. 62.



Huic verò opinioni objici potest, hydrargyrum haud semel adhibitum esse, usquequò salivam moveret, neque tamen morbum curâsse \* ; et, contrà, nonnunquam, tametsi salivam prorsùs non citaret, ad optatum tamen finem perduxisse morbum †.

Quanquam hydrargyrus plerumque fallit, tamen, quum interdum respondeat, semper  
peri-

---

\* AUD. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.* in  
ACAD. EDIN.

Vid. DUNCAN. *Medical Commentaries*, vol. v.

† Vid. PERCIVAL. *MANCHESTER Transactions*, vol. iii.  
pag. 213.

Vid. *Memoirs of the MEDICAL SOCIETY*, vol. iv.

periclitandus est : satius est enim, in acutis morbis, quibus breve spatium est, intra quod prosit medicina, anceps auxilium experiri, quàm nullum. Quocirca, nullâ morâ, cùm in ventriculum assumendus est, tum summæ cuti subinde et acriter infricandus ; ac, si in ejus usu perseveretur, efficere forsitan possit, ut tumores cerebri, si qui morbum moverint vel comitentur, tandem discutiantur.

*CORTEX CINCHONÆ, OPIUM, et VINUM*,—sub finem, uti suadet RUSHIUS, assumenda sunt, ut vires, si quæ supersunt, sustineantur. Prosint verò, necne, hæc medicamenta, nondum experientiâ satîs constat.

*VOMITIO*.—Eodem, quo hydrargyrum, consilio, vomitoria hydrocephalo laborantibus assumenda curârunt medici. Si, dum hic morbus recens est, æger ad vomendum proclivis sit, liceat medicamentum, ex iis quæ lenem tantùm



tantum vomitum movent, ei assumendum dare.

Memoriâ verò a medicis tenendum est, in omnibus morbis, in quibus sanguis in cerebrum justo copiosiùs derivatur aut impellitur, vomitum admodum nocere, cum præsertim eos adeò non levet, ut graviores reddat. Quapropter, in hydrocephalo recente, nocet, quippe cum in cerebrum sanguinem justo vehementiùs impellat; neque profectò, in provecto aut inveterato, convenit, quoniam affert vel auget debilitatem.

Quum ita sit, concludere, putamus, liceat, *apoplexiâ hydrocephalicâ* ægrotis medicamenta, ex iis quæ vomitum cient, plùs nocere sanguinem in cerebrum vehementiùs impellendo, quàm humorem effusum hinc derivando prosunt.

*URINAM CITANTIA*,—etiāmsi ea persæpe medici experti sint, nullum tamen hydrocephalo laborantibus malorum levamen attulerunt.

*SUDATIO*—etiā iis, qui protracto hydrocephalo premuntur, opitulari putata est; atque æger memoratur\*, qui ex vaporario, in quo sudaverat, permagnam utilitatem percepit. Neutiquam verò satīs constat, morbum, quo laboravit, eum fuisse, de quo hīc disputatur. Æger, quem strabonem hydrocephalos fecerat, sudatione, ut testatur GREGORIUS, oculos, sicut sanus, aliqua ex parte, dirigendi potens factus est; sed inde nullum præterea malorum levamen accepit†.

G

Ne

---

\* DUNCAN. *Med. Com.* vol. viii.

† ~~████~~. GREGOR. *Prælect. De Med. Practic.*



Ne quis, cujus frater aut soror *apoplexiâ hydrocephalicâ* mortuus sit, eodem morbo correptus pereat ; oportet, parcâ diætâ, et modicâ quotidie exercitatione, vel, quod satius est, *setaceis* aut foniculis, in parte capiti quàm proximâ factis, caveat, ne corpus nimis impleatur.



